

SVEN K. KNEBEL

## Disputatio aliqua inedita XVII. saeculi adversus Arriagae sententiam de transcendentali veritate entis

Peripatetica doctrina de ‚transcendentali‘ rerum veritate ex celebri dicto Stagiritae (*Metaphysica* II, 1, 993b30) deprompta est, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem. „Esse rei“, inquit Thomas de Aquino hoc loco, „est causa verae existimationis, quam mens habet de re.“ Consideranti patebit pensum totius philosophiae occidentalis in his paucis verbis virtualiter contineri. Propterea investigatio historica de hac materia non est negotium studio fontium medii aevi absolutum. Immo maior pars actorum ad periodum pertinet post Concilium Tridentinum usque ad ineuntem saeculum XVIII. Octava illa Suarezii *Disputatio Metaphysica* monumentum perenne est eruditionis scholasticae. Rursus disputatio aliqua habita anno 1653/54 in collegio Cordubensi Societatis Iesu curiosum specimen praestat controversiarum de hac re inter philosophos iuniores. Iosephus de Victoria et Davila (1617–1673), auctor alicuius inediti cursus philosophici, defendebat viam antiquam, secundum quam res, sicut per propriam formam, per quam ponitur in actu, habet, quod sit ens, ita per eandem formam nata est seipsam intellectui repraesentare et de seipsa facere veram existimationem. Quam quidem sententiam potius praemissam invenimus quam propugnatam, cum auctor quasi totam operam insumpserit in refutanda aliqua sententia opposita. Adversarius eius fuit Iesuita Rodericus de Arriaga (1592–1667), cuius *Cursus philosophicus* anno 1632 primo editus per totum XVII saeculum vigeat. De statu quaestionis, contextu et historico et biographico iam (*FZPhTh* 68 [2021] no. 1, pp. 67–97) disse-rui. Constitutio textus pendet ab unico manuscripto extante, BU Sevilla Fondo Antiguo 330/050. Descriptionem totius codicis, qui, inter alia manuscripta, hoc continet fragmentum tractatus in universam Aristotelis *Metaphysicam* (93 foll.), debemus Eduardo Moore (*Manuscritos teológicos posttridentinos de la Biblioteca de la Universidad de Sevilla*, Archivo Teológico Granadino [1957] p. 238sq.). Codex in gratiam rei publicae literariae recen-ter electronico modo digitalizatus est (<https://archive.org/details/A330050>). Hinc manuscriptum ubivis commode studeri potest. Restat observare rubricas ab editore additas esse. Scholia tam apparatus criticum respiciunt quam scholasticum.